

Bibliothèque numérique

medic@

**Leger, Theodorus. - An strumarum
curatio specifica ?**

1824.

***Paris : Ex typographia T.-F.
Rignoux***

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1824x02x17](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1824x02x17)

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS
MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1823.

AN STRUMARUM CURATIO SPECIFICA ?

THESIS

*Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi,
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputa-
tionibus subjiciet et dilucidare conabitur, die quarta martii anno 1824.*

THEODORUS LEGER, D. M. P.

« Gratum est, verum sectari sine partium studio; gratius
à principibus et Coryphæis repetere, gratissimum suum
cuique ex æquo tribuere. »

GRUNER.



PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA T.-F. RIGNOUX.

1824.



COMPETITIO AD AGGREGATIONEM
1852 REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALIÆ UNIVERSITATIS
MAGISTRALIS
JUDICES.

MM. ESQUIROL, PRÆSES.

LANDRÉ-BEAUVAIS.

CAYOL.

RECAMIER.

BERTIN.

ROYER-COLLARD.

FIZEAU.

ALLAIN.

JADIOUX.

THEODORUS LEGER, D. M. P.

Gratum est, verum rectius sine partium studio; gratius
à principibus et Corporibus repetere, gratissimum tamen
cuius ex æquo tribuere.

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA T. F. RIGNOUX.

1851

DOCTORI G. BRESCHET,

FACULTATIS MEDICÆ PARISIENSIS IN RE ANATOMICA PRINCIPI.

Gratissimi nec non amantissimi in eum animi pignus.

THEODORUS LEGER.

CANDIDATI.

DD. DELONDRE.
ROCHOUX.
GERARDIN.
DE CHAMPESME. Opponens.
CRUVEILHER.
PIORRY.
LEGRAS.
BAILLY. Opponens.
RAMON.
MIQUEL.
DESTOUET.
MARTIN SOLON. Opponens.
DUPAU.
DUGÈS.
AUDRAL.
GIBERT.
BAYLE.
TUFFIER.
VELPEAU.
MESLIER.
LEGER (Victor.)
LEGER (Theodorus.)
BOUILLAUD. Opponens.

AN STRUMARUM

CURATIO SPECIFICA?

ANTEQUAM quæstionem aggrediar ipsius certos fines et terminos circumscribere animus est. Itaque rem, absque omni jam insitâ opinione perpendens, de causis, de symptomatibus, et de morbi naturâ minimè mihi agendum est; hoc solum modo propositum: strumarum nempe *curationem*, quin imò *curationem specificam* tractare mihi licet.

Verùm autem, ut munus pro dignitate sustineam, quid sit intelligendum per specificam curationem paucis exponamus.

Curatio specifica ea est, quæ semper et tutò morbum fugat, prioremque restituit sanitatem.

Hæc definitio jam nos admonet quantâ cum diffidentiâ medicamentis hoc superbo nomine decoratis credere debeamus.

Antiqui specificas curationes innumeras esse credebant: apud eos non modo omne medicamentum specificum erat, sed plurimas etiam dotes specificas possidebat. Naturam degenerem putaretis, quum plantæ vel minimæ usus, fausto in tempore artis cunbulo, maximos semper habuisse successus videatur. Nos autem miseri, sæpissimè plantas, metalla ipsa, omneque armamentarium pharmacorum frustrâ adhibemus; felices nimium quum tandem eventus, magnum post laborem, spes nostras non deludit.

Sæculorum seriem evolventi quot patent auctores specifica remedia proclamantes! quot morbi, quos artis medicæ peritissimi curatu diffi-

ciliores existimant, permulta habuere medicamenta, quæ efficacissimis dotibus ad curationem citissimè perficiendam prædita sonuere! Quò morbus insanabilior eò magis pharmacopolarum collegia, lippi et tonsores, nec non et mulierculæ cum fronte triplici ære munitæ, statim specifica proponunt. Heu! incurabilium malorum curationes, quàm multos orco detrudit, quàm multos locupletat!

Verùm enim ut medicamentum specificum esse omninò crederetur, hoc curationem afferre quolibet in casu necesse foret. Indè parvè esset momenti an morbus plùs minùsve complicetur, perduret, graviora minorave patefaciat symptomata. Parvè interesset, an opportunè et tempore eodem detur medicamentum, interesset saltèm ipsum eandem vim, præparationem, compositionem, dosimque habere. Quodnam verò medicamentum has semper dotes possidet?

Non dico tamen medicamenti nullo modo organa affici. Ab animo longè est hæc sententia. Nec dotes medicamenti recuso, nec maxima nego præstare sapièssimè officia. Sed quæstioni præmissas considerationes accomodans, hoc præsertim inconcussis stabilire fundamentis propositum cupio : *NULLA EST STRUMARUM CURATIO SPECIFICA.*

A primâ artis ætate nostrum usque ad tempus, breviter dicemus præcipua remedia, quæ ad strumas sanandas vicissim laudibus in cælum sublata fuere. *Præcipua* tantum, etenim si cuncta sedulò exponere vellemus, indigesta librorum moles in medium protrahenda foret, vestro non sine tædio, mihi ingratum opus.

In temporibus ignorantia et superstitionis quùm ars medica malum eruere incassum conaretur, coelestes medicationes imploraverunt ægri; regesque, præsentia numina, solo contactu morbum expellere credidit vulgus. Non solum reges hæc fruebantur prærogativâ, sed etiam multi monachi, nec non et septimus quicumque filius cujuslibet familiae, dùm nulla inter mares nata fuerit filia. Putaretis forsàn me rerum memoriam altiùs repetere, quùm Pyrrhus apposito pedis pollice ad latus ægri lienosos sanaret? minimè. Nostris in diebus nonnulli solo contactu sanant, non jam strumas, sed omnes morbos. Haud loquor de pas-

torum maleficiis, sed de iis, qui jam recoctam crambem recoquentes cum Gagliostro, Mesmero, etc., magnetismum animale prædicant.

Sed ridiculam praxim linquentes, quid dicemus de consuetudinibus Maurorum atque Hispanorum, qui inferiorem auris partem adurebant, idque strumarum specificam curationem præfractè contenderunt? Nec satis. Alii manum putridi cadaveris tumoribus strumosis applicavere; æger in cranio humano bibere coactus fuit; sanguinis calidi potus, medullæ humanæ præparationes!..... sed referens horresco. Animus refugit aversus, tandemque remedia externa vel interna, quæ certatim ut specifica probata fuere, exponere propero.

Pauca de externis medicationibus dicam. Tamen per longum tempus omninò chirurgicâ ab arte pendere strumas putaverunt. *Tantum præsidia sunt in manu*, ait Duret. Quamobrem Vesalius, Fallopius, Fabricius ex Aquapendente, Dionis, etc., glandularum tumores aggressi sunt vel ferro, vel igne, vel causticis. Cataplasmata, unguenta, linimenta, innumerabilem in modum, adhibita fuere. Lotichius cucurbitulas atque emplastra laudat; Fabricius et præsertim Severinus causticum lapidem ferro aut igni anteponunt, longumque per tempus suppurationem fovere monent donec impuri, humores expellantur.

Tandem interna medicamenta prioribus juncta fuere. Verissimèque dici potest, nullum adeò absurdum fuisse remedium quod præclaro nomine commandatum non fuerit. Plinius ossa cartilaginosa Raiarum caudæ heroicè agere conclamat. Celsus serpentis, Galenus mustelæ, Aëtius verò viperæ carnem edendam prædicant. Calcem melle immixtam celebrat Oribasius. Talpæ cineres melle concretos honoribus cumulat Burnet. Lacertorum carnem laudibus effert Scultetius. Arnaud è Villâ-novâ Joannesque Junckerius cineres marinæ spongiæ certissimum specificum præcipiunt.

Nec jam simplicia adhibentur remedia; Faurus pilulas præcipit, in quibus Alicantis sapo, cineres spongiæ adustæ, duarum scrofularium pulvis, ferri scobes, caro viperæ et syrupus è quinque radicibus miscentur. Faurum æmulatur Grateloup, suis in pilulis, quæ formantur

ex oxide albo antimonii, tartrate potassiæ ferrugineæ, sapone, rhabarbaro, porcellionibus et aloë catharticâ.

At cédite profani; Janinus adest; bolos divinis honoribus dignos concipit. Etenim quot heroicas continent dotes! conflantur in unum et cassia senna, et tartras acidulus potassiæ, et pulvis agarici cremati, et radix Mechoacan, et rhabarbarum, et scammonæa, et bryonæa, et Iris hermodactea, et polion gummosum, et trochisci alhandal, et hydrargiri protochlorurium, et stibium, et gummi gutta, et ferri carbonas, et nitrum, et jalapa, et aloë cathartica et denique nigrum hydrargiri sulfuretum..... risum teneatis?

Omnes ferè medici in strumis lympham crassam glutinosamque videntes substantias incisivas, attenuantes, dissolventes, purgantes, sudoremque moventes administrabant. Intellectu arduum est quoniam modo homines sanâ mente præditi crederent humores lymphaticos, liquefactos primùm in glandibus, per medicamenta quibus incisivæ dotes conceduntur, expelli foràs per intestina, adhibito purgativo, vel per cutem mediantibus sudorificis. Corpus humanum molem esse inertem itaque existimant, in quâ certi actores medici voluntatem certatim perficiunt; datoque morbo, remedia mittuntur, quæ quantumlibet varia et composita semper assignatum locum occupare festinant, ibique salutare serviliter munus, exsequuntur. Omnia si feliciter adveniunt, semper dilecti medicamenti effectus laudantur; nihil profuere et vivendi ratio adhibita, et exercitationes, et motus animi, cunctaque accessoria dicta; solum, solum medicamentum salutare fuit. Mutatâ vice, infaustus ne spes conceptas disturbat eventus? Non infidum fuit medicamentum; omnis mali labes in imprudenti, inconsideratâque agendi ratione ægrotantis reperitur; quùm de methodo prophylacticâ agemus, hujus sententiæ veritatem perpendere conabimur.

Quidquid id est, purgantia prima fuere remedia ad curationem specificam strumarum propria dicta. Etenim nullâ mentione factâ de prioribus, Guy e Chauliac, Ballonius, Etmuller, Bordeu, Pujol, aliique permulti, facultates mirandas tribuerunt purgantibus et vom-

toris frequenter adhibitis; magni aestimantes alii evacuationes ipsas, alii succussionem organorum, quæ vomitorias comitantur potiones. Reidus Mayusque phthisim pulmonarem maximum credunt strumarum esse gradum, hancque repetitis vomitibus specificè curari contendunt. Jam autem nullos habet sectatores hæc crudelis methodus; etenim videre est quot ipsi fautores victimas morbi numerarint, quum ipsam *methodum* arguere debuissent.

Secundum locum occupat hydrargirum in strumarum curatione. Hoc ferè omnes medici usi sunt variis sub formis, nunc in frictionibus, Amatus Lusitanus, Bordeu, Pujol, etc.; nunc nigrum sulfuretum hydrargiri, Charmeil, Dumoulin, etc.; nunc deutochlorurium, nunc sales hydrargiri, etc., eò magis laudatum fuit, quò majorem obtinuit fidem consortium virus scrofulosi et venerei. Hydrargiri præparationes sæpè faustissimo successu coronatæ fuerunt; hocque testantur Clarus, Bouvartius, Baumes, Portal, etc.; sed his addita fuere et amara et gymnasticæ exercitationes, et omnia quæ accessoria dicta, morbum ut infra dicemus, sæpè sanare possunt, nullo mediante medicamento. Tamen quum, quolibet in casu, non semper felix exitus morbi fuerit, ea non est curatio specifica. Hoc quoque dicendum est de omnibus medendi rationibus quas ex ordine jam jam explicaturus sum.

Cortex peruvianus inter maximè conspicua eminet remedia; Fothergill, Kortum, Bordeu, etc., nostris diebus omnes medici hoc magnâ cum laude utuntur.

Ferrum, præsertimque rubiginem, et ferri carbonatem commendarunt Pujol et Baumes; hæc successus habuisse non constat.

Aurum quoque adhibitum fuit in strumis sanandis. Sapo Lalouetti et præparatio, quam novissimè Christienus specificam proclamavit, hoc continent metallum.

Calx, magnesia, subcarbonas potassiæ, sulfur, multæque harum substantiarum mixtiones, vicissim præscripta fuerunt. Parvi hæc medicamenta nunc aestimantur. Putabant priores mali causam ab his occupari dotesque perniciosas sic adimi.

His adjungere possumus digitalem purpuream quam Darwinus,

Dracko, Quarinus, et Baumes celebraverunt. Nunc autem oblivionis nocte premitur.

Antonius Storkus cicutæ et aconiti dotes prædicavit. Hæc sprevit Dehaën. Cicutæ tamen extractum laudatores novos habuit. Lallement, Morto, et Quarinus hoc extulerunt. Horum medicamentorum tota evanuit fama; et nunc inutilia, non raro nociva arbitrantur. Dulcis amara, tussilaginis folia et flores celebres quondam eandem habuere sortem.

Americani, recenti tempore, certum specificum prænuñtiaverunt, pyrolam nempe umbelliferam. Hanc omnino ignoramus.

Mauduyt, et Michaëlis Underwood, electricitatem aptissimam esse putaverunt, sed eventus spem conceptam non firmavit.

Aquæ metallica in strumarum curatione non silendæ sunt. Hæ ingentem tenuere gloriam, quam sensim amiserunt. Utiles eas putamus variis cum adjutoriis. Idem dicemus de lavacris frigidis balneisque vaporum, quæ nonnulli suadent auctores.

Inter heroica medicamenta, hydrochloras barytæ numeratur. Crawford, Duncan, Hufeland, ipsius laudes cecinere. Jam quæ aræ remedio parabantur, cum repetitis vicibus doctores Portal et Alibert, nullo modo hunc salem proficere experti sunt.

Denique multi specificum, strumarum designant Iodum; sed pauca sunt salutarium dotum exempla; hoc venenum organorum facultates cum vi maxima conquætere videtur; utiliter non nego hoc agere posse; sed prioribus exemplis moniti, caveamus ne nimia cum facilitate specificum admittamus.

Nostris tandem diebus, nonnulli medici, præclaro aliunde præditi ingenio, certum ad omnes morborum formas specificum in promptu habent. Hirudines applicari, iterumque iterumque applicari hirudines præcipiunt. Strumas eodem modo aggrediuntur. Tunc enim glandulas irritatione chronica, sive inflammatione alba laborare dicunt, et inflammationes hirudinibus semper et tuto expugnari quis negabit impius?

Talia sunt præcipua medicamenta quæ nunc honorum culmen, nunc gradum infimum occupavere. Alternatim præclarum usurparunt spe-

cifici, titulum, alternatim amiserere, vel jam jam amissura declinant. Sic rerum humanarum lubrica transit gloria.

Nunc autem, perfecto quaestionis scopo, si a me peteretis quænam curatio strumarum mihi videatur, non jam *specifica*, sed *aptissima*, attentam vertere mentem ad morbi naturam propriamque indolem operæ pretium esse dicerem. Etenim quum morbi nullum sit specificum, plurimos secundum casus, agendi ratio accommodanda est. Tunc sexus, ætas, mores, loca, tempus, idiosyncrasis, etc., etc., maximi sunt momenti. Tunc præstigiator medicum referre non potest; suam que servat ars nostra dignitatem.

Itaque, si mecum strumarum phænomena perlustrare, suoque momento singula ponderare vobis est animus, mentem opinionibus liberam ad rem afferre necesse est. Hic vitii peculiaris humorum, degenerationumque acidarum vel alcalinarum, et vasorum atoniæ, præconceptæ notiones deponendæ sunt, factaque solummodo perpendere oportet. Tunc benè cognitis et temperamento et variis circumstantiis morbum comitantibus ex ipsâ morbi naturâ patebit aptissima curatio.

Qui scrofulis laborant vel jam jam laboraturi videntur, colore albido et exquisitâ cutis tenuitate sunt conspicui. Facies subrotunda formam pueritiæ elegatem, incertam que retinet; subroseus color malas occupat. Telæ cellularis magna extensio musculos obtegit, inattentoque observatori mentitur sanitatem. Flava vel subflavescens est cæsarides. Magni sunt oculi, proeminentes, cærulei, iridis apertura (*pupila*) ferè semper dilatatur; non rarò rubent palpebrarum margines; tument nazi alæ, orisque labra. Dentes albi facilè cariosi fiunt, et antè tempus cadunt. Halitus acidus foetidusque. Longum est collum, pectus angustum, depressumque; humeri incurvantur; prætument abdomen; gracilia sunt membra et rotunda, atque artua sive juncturæ tumida sunt, carnes flaccidissimæ.

In ætate tenerrimâ ferè semper strumorum mirantur animi præclaras dotes; et, ut narrat nosologiæ naturalis auctor, in scientiis nec non in poesi haud aspernandum facile locum obtinere.

Sed multum abest ut omnes his naturæ commodis, et fortunæ muneribus abundant! etenim qui rerum penuria, ac paupertate vexantur, qui loca, humida, depressa, obscuraque, urbibus in nostris habitant, vel degunt vitam agresti quâlibet in valle Pyrenæorum montium, vel per æquora inculta, uliginosaque Soloniæ. Heu! quantum a primis discrepant! Turgidi, pallentes, animo obtuso; cutis arida, coopertaque persæpè substantiâ quâdam nigricante, terreâ, pulverulentâque. Pigrities, et incuria maximæ sunt; nullo moventur modo; mens arida hebetataque imbecillitatem, et stupiditatem extremam pandunt.

Si morbi causas inquirere liceret, has reperiremus in habitatione locorum humidorum et depressorum; in solo paludoso, quod non recreant solis radii; in alimentis generis pravi; in lacte malesanæ nutriticis, in effoetâ constitutione, quam dedere parentes; in foemineâ inertique agendi ratione, in vestibis sordidis, et dilaceratis, quæ aeris frigidi, et humidi impressionibus corpus tradunt inerme. Denique omnibus in casibus, qui liquorum corporis alborum copiam crescere sinunt, qui organorum elaborantium et telæ cellularis explicationi favent, et qui possunt augere vim et numerum vasorum, quæ hos vehunt liquores.

Ex his stabilire possumus strumis præsertim obnoxium esse temperamentum, in quo pollent lymphatica organa, sicut phlegmasiæ obnoxii sunt imprimis qui sanguine abundant. Etenim causæ irritantes specialiter organa afficiunt, quæ in corpore sunt sensibilia, maximèque excitabilia.

Verum autem quum lymphatica pollent, sanguinea languescunt organa; hæc duo systemata inter se semper adversa sunt. Quum prævalet hematosi, rubra texta, muscoli nempe, et vasa sanguifera fortiora sunt. Cutis sicca arctius musculos amplectitur, corpusque maximos sustinet labores indefessum. Tunc autem alba organa in se ipsa, ut ita dicam, contrahuntur. Lymphatica vasa gangliæque ferè nulla, apertèque imminuta patent. Si autem albæ elaborationes primum tenent locum, vasa lymphatica omnes tegere partes; ganglia mirum in modum creta, liquidis madere abundantibus, numerosiora

que videri; alba organa porrectiora auctaque apparere, dum musculi et sanguifera vasa segni in corpore marcent.

In strumis igitur sanandis paritatem organorum restituere, quin etiam hematosi vires addere insolitas, medici munus est. Contraria causis morbi adhibeantur. Itaque in aere puro, sicco, frequenter renovato, propè mare, siccis et calidis in regionibus, vitam degat æger. Partes ædium, quas occupabit, sint elatæ, vastæ, ad Euronotum sitæ atque aera liberum perfacile intrare sinant. Calidæ, sed leves sint vestes, crebrò mutantur. Exquisitissima sit corporis munditia. Ægri lectum duriusculum erit, molles plumæ atque etiam lana amoveantur, haud gravia sint stragula, et cubiculi calor ita augeatur, ut æger lectum libenter relinquat. Maxima sit corporis exercitatio: arma, cursus, saltatio, plantarum cultus, venatio, longinquæ deambulationes per montes et sylvas, gymnastici labores, natatio, balneaque frigida plerumque repetita. Maximi quoque momenti alimenta ad ventriculi vim propriam accommodanda sunt. Arceantur lomentosi cibi. Panis similagine purâ conficiendus est. Assæ carnes, generosi vini potus, mediante aquâ purâ, aere bene mixtâ, eligenda sunt. Nec satis est: œgram sanare mentem plurimum valet. Animo vim addere, mentem labefactam recreare, hilaritatemque movere, interest. Simplicium ruris voluptatum fiat particeps; purum experiatur gaudium beneficia spargendi, sibimet sicut aliis consulens.

Sic Paulatim minuetur corporis obesitas; carnes firmæ robustioresque fient. Attenuabitur cutis albor frigidus; jam enim rubet, musculosque delineat. Facies viriles, vel saltem certiores formas assumit; sic temperamentum sanguineum, quod acquisitum nuncupare possemus, corpus reficiens, morbum ipsis in recessibus aggreditur, et sæpissimè evanescere cogit.

Quamquàm hygienicæ rationes ad sanandas strumas plurimum valeant, attamen, secundum casus varios, nunc purgantia, nunc tonica aliaque remedia inter ea, quæ superiùs enumeravi, prudenti cum animo medicus eliget, hygienen pharmacis secundans.

Tumoribus emollientia cataplasmata admovebit, dum dolor et

rubor eos comitatur; sin minus naturæ viribus ipsos permittendos esse censeo; etenim, multa post tentamina emplastrorum, linimentorum, his sæpè rebeliores fiunt; dùm desidentes haud rarò visi fuerunt, nullo mediante topico.

Quùm vero pus in irritationis sede accumulatur, tumor aperiendus est certum post tempus, quùm durities circumcirca agnosci jàm non potest.

Ad exitum morbi potassiam causticam in aperiendis tumoribus anteponenda ferro mihi videtur. Sic equidem non semel vidi, paucis in diebus benè obductam cicatricem fieri. Sed tumor, nedùm emolliatur, magisne ac magis perdurescit? Hunc extipandum credo, quum res fieri potest, potiùs quam aggrediendum causticis, quæ cutem deformibus sulcis inutiliter signant, quùm demùm ad operationem seriùs ociùs veniendum sit.

Articulos afficiente morbo, agræ partis maxima quies topicaque emollientia, hoc in funesto casu, adhibenda sunt. Nunquam autem ad amputationem membrorum confugiendum est, et si carie laborent ossa, nisi saltem omnis strumosa constitutio evanuerit, aut peracutus dolor, nimiaque suppuratio, certissimam ægrotantis mortem prænuntient.

Hæ sunt agendi rationes, quas ad strumarum curationem aptissimas esse censeo. Has semper ex sequentur viri, pulcherrimo medici nomine digni, altâ repostum mente servantes: solos veteratores gloriari se medelas ad morbos semper et tutò sanandos in promptu habere, quùm: NULLA SIT CURATIO SPECIFICA.